

(X202 1126)

Yc
2275

ILLUSTRISSIMI ATHENAEI
CASIMIRO - ALBERTINI

DIRECTOR,

M. JOHANNES SAUERBREY,

SS. THEOLOGIAE,

LINGVAE GRAECAE ET POES. P. P. ORD.

SOLENNEM

**NOVI LOGICES ATQVE METAPHY-
SICES PROFESSORIS**


INTRODUCTIONEM

INTIMAT,

HAC SIMUL IN SCHEDA

**STRUCTURAM
AEDIS GYMNASTICAE
ARTIFICIOSISSIMAM**

OBITER DELINEANS.





Ræcipit̄ inter atq̄ve illustriora Urbis hujus Saxo-Ducalis ædificia, quibus ea ipsa aurei instar annuli gemmis veluti pretiosissimis coruscare solet, eminet longè ac caput efferre videtur STRUCTURA AEDIS HUIUS GYMNASIICAE ARTIFICIOSISSIMA, intuentium oculos quorumvis in haud parvam sui admirationem rapiens, utpote in qua FUNDATOR GLORIOSISSIMVS nihil ad famam omisisse censendus est. Factum autem est Foundationis hujus initium, atq̄; jacta sunt ædificii Gymnastici fundamenta

Perquam feliciter cum initio annoq̄; primo seculi hujus vergentis, post Christum natum, Septimi Decimi, IV. Non. Septembr. Eo ipso enim die, quem floribus Hora scribant, & fasti memores in secula mittant, habita priùs in Templo Mauriziano hunc in finem concione encæniali, fulisq̄; devotis ad Deum Scholarum statorem stabilitoremq̄; summum pro felici tanti moliminis successu precibus, נשנת הנהגה sive Lapis primarius in radice ædificii baseos vice à Serenissimo Principe ac Domino JOHANNE CASIMIRO, Duce Saxon. Julia, Clivia ac Montium, &c. beatissimæ memoriæ, veluti altero SERUBABELE, præsentè Aula splendidissima, ingentiq̄; Ministrorum ac Subditorum multitudine, inter jubila atq̄; acclamations votivas è Zachar. IV. 7. הנהגה הנהגה הנהגה gratia, gratia ei, vel ut Megalander Lutherus reddit: Glück zu / Glück zu / positus ac suffundatus fuit, ita quidem, ut huic ἀνεργωνιδία lapidi in æternam hujus rei memoriã numismata quædam hac fini causa, cum literis quibusdam mnemonicis, aliisque mnemosynis inserta fuerint, in quibus Sacro-Sanctam TRINITATEM, DEUM PATREM, FILIUM ET SPIRITUM SANCTUM Princeps Laudatissimus humillimis sollicitat precibus, ut in divini Nominis gloriam, inque purioris doctrinæ Christianæ & artium liberalium propagationem atq̄ve harum insuper provinciarum salutem huic feliciter cæpto operi ex alto benedicere, illud ad coronidem perducere, idemq̄; postea ab omni adversitate ac subversione quàm diutissimè immune præstare velit. Quas preces atq̄; vota Numen supremum adeo benigna imbibit aure, ut intra quadriennium Ecclesiæ hoc ac Reipublicæ seminarium, præsidium, ornamentum extrui cæptum, ædificatum, perfectum, legibus communium, locupletissimis redditibus dotatum ac Deo consecratum fuerit. Hujus itaq̄ve Sacratissimi Musarum Templi substructionem & molem plusquam dædala confectam opera penitius contemplantibus primò omnium in exteriori mediæ contignationis angulo rectà super lapide angulari & tabula, cui per publicum Gymnastii Ministrum intimationes affiguntur publicæ, oculiferii instar sese offert Serenissimi Ducis JOHANNIS CASIMIRI, cataphracta, inaurata & ex solido excisa saxo statua, ex singulorum membrorum symmetria & similitudine perquam affabrefacta, atq̄ve heroicam, quam ipse in vivis habuit, gravitatem ac animi magnitudinem quasi spirans, quæ pulcherrima Munificentissimi Fundatoris effigies & Docentes & Discentes omnes officii sui facile quasi nunquam non admonere videtur, ita, ut, hoc qui negligit, præsentis hic tanquam & videntis Principis ἐργονιδία rigorem extimescere necesse habeat. Proximè autem ab hac statua Fundatoris examusitata in fronte Ædis inter insignia Saxonica à dextris, & Brunsvicensia ac Lunenburgensia, Serenissimæ r. r. CASIMIRIANÆ Conjugis MARGARETÆ gentilitia à sinistris, ex solidis quoque affabrè facta saxo interjacet Tabula lapidea, quæ literis extantioribus atq̄; deauratis Magnificentissimi Fundatoris institutum Legentibus hisce edisserit verbis :

AD DEI OPTIMI MAXIMI, CREATORIS, ET FILII EJUS JESU CHRISTI,
DOMINI ET SALVATORIS, ET SPIRITUS SANCTI SANCTIFICA-
TORIS ET CONSOLATORIS NOSTRI GLORIAM,
DEI EJUSDEM GRATIA,
JOHANNES CASIMIRUS, DUX SAXONIAE, COMES PROVINCIALIS
THURINGIAE, MARCHIO MISNIAE, ETC.
ET PROPRIA PIETATE AC BENIGNA ERGA SUBDITOS AFFECTIONE,
ET AVI AC MAJORUM SUORUM LAUDATISSI-
MORUM EXEMPLO MOTUS,
GYMNASIUM HOC VERAE, ET IN VERBO DEI FUNDATAE
RELIGIONIS TEMPLUM,
VIRTUTUM, ARTIUM LIBERALIUM ET LINGVARUM CARDINALIUM
OFFICINAM AC DOMICILIUM,
ECCLESIAE AC REIPUBLICAE SEMINARIUM, PRAESIDIUM AC ORNA-
MENTUM EXTRUXIT, INSTITUIT, DOTAVIT, EOQUE FRANCONIAM DE-
CORAVIT ANNO POST NATIVITATEM CHRISTI, MDCIV.

Atque hæc tabula sub mediâ contignationis mediæ fenestra conspicitur, sub reliquis autem ejusdem contignationis fenestris versùs Ædem D. Mauritiï sacram conspicuis decem, totidem quoque cernuntur Tabule pictæ, exhibentes effigies, nomina & insignia septem Artium Liberalium, septemq̄; Virtutum, quæ omnes hoc ordine comparent :

1. ASTROLOGIA, 2. GEOMETRIA, 3. MUSICA, 4. RHETORICA, 5. DIALECTICA, cujus tabulæ marginem hæc implent verba : Uti homines ratio docet Dialectica, quare meritò apicem magis hanc Plato vocat. 1604. 6. ARITHMETICA, 7. GRAMMATICA, 8. CHARITAS ET FIDES, 9. SPES ET FORTITVTO, 10. TEMPERANTIA, JUSTITIA ET PRVDENTIA.

Ipsæ autem fenestræ omnes & in media & in infimâ contignatione appictis in parietibus imagi-
nibus quàm artificiosis *PATRU M, THEOLOGORUM, JURECONSULTORUM, MEDICORUM, PHI-*
LOSOPHORUM, ORATORUM, POETARUM, GRAMMATICORUM ALIORUMq; celebrium virorum
elegantissimè sunt distinctæ, è quibus virtutis simulacris, Pietatis & Gloriæ monumentis, quorum con-
templatione Studiosa Juventus ad æmulationem ejusdem virtutis, Pietatis, gloriæ incitetur, præcipue
hic commemorare libet, & sunt seqq.

I. CHRYSOSTOMUS, II. S. AURELIUS AUGUSTINUS, EPISCOPUS HIPPONENSIS, III. BAR-
TOLIUS ET BALDUS, JURECONSULTI. IV. GALENUS ET HIPPOCRATES. V. ARISTOTE-
LES, PHILOSOPHORUM PRINCEPS. VI. MARCUS TULLIUS CICERO cum hoc disticho:
Romani Pater Eloqvii, Patrie Pater idem, Prima mihi merito palma sub urba datur. VII. NICOLA-
VS COPERNICIVS, Mathematicus, cum hac epigraphæ: Gaudeat arifonus Ptolomeus nomine Nili,
certè Germanis sum Ptolomeus ego. VIII. PETRUS RAMVS, hisce cum versibus: Me malus in vira
doctorum exercuit error, Plebs jugulat, patrie restitit illud amor. IX. FRANCISCVS PETRARCHA,
Poëta, Rhetor. X. IMMANVEL CHRYSOLORAS, Grammaticus græcus, patria Romanus. Reli-
quorum verò nomina imber edax & Aquilo impotens exedit ac planè deleuit.

Præterea sub fenestris in Directoris habitatione duæ adhuc oculis objiciuntur tabula pictæ, variis
refertæ iconibus, quæ omnes his insigniuntur Nominibus, & quidem

In Tabula una: *CAJUS PLINIUS SECUNDUS, CICERO, CYPRIANUS, PYTHAGORAS, JOHANNES*
STOFLEUS, Mathemat. Tubing. PTOLOMAEVS ALEXANDRINUS, Mathemat. GVILIELMVS XYLAN-
DER, Philologus, ANTONIVS SANGALIO, Architeeton. APELLES, Pictor. TITIANVS, Poeta. VALERIUS
Corduanus, Medicus. THEOPHRASTVS PARACELSVS, Medicus.

In altera Tabula: *DOCTOR MARTINVS LUTHERVS, Islebientis, Theologus, & PHILIPPVS ME-*
LANCHTHON, Germaniæ Phœnix. Supra horundem Icones adscripta leguntur verba hæc è Rom. VIII. 31.
QVIS CONTRA NOS, SI DEVS PRO NOBIS.

Quo fine autem elegantissimis hisce imaginibus ad Serenissimi mandatum artificiosa pictoris inge-
niosi manus ædem hanc ita exornaverit, non meis, sed *B. Andrea Henai, P.L.C. & Pastoris s.t. in agro*
Coburgensi verbis edisseram, ita enim ille in carmine quodam gratulatorio ad Munificentissimum
Fundatorem Illustris hujus Gymnas. A. 1605, cecinit:

*Hoc scilicet factum. Quod & per illos,
Hic qui videntur, ritè liberales
Invenerunt artes suum decorem,
Eaque magno post labore eorum
Sint hoc in ævum tradita supremum.*

*Hos intuens porrd virens juvenens
Frequentat has qua diligenter ades
Sic corde sape dicas: Hic aperta est
Magnâ Ducis de libemlitate
Cuique nostrum, SPIRITVS sacraei,
Tales viros qua eudat, OFFICINA.*

Supra duas hæc jam descriptas ac depictas contignationes, eminet etiam tertia reliquis ædibus o-
mnibus huic contiguis eminentior / eaque bis sex pinnis fastigiatis vel proteclis, ad splendorem com-
positis, habitationibusq; Alumnorum Gymnasticorum aptatis superbit, quæ totam domum mirè
exornant, eandemq; cum ipso tecto terminant. Nec tamen hoc ipso splendor ædificii hujus exter-
nus absolutus est omnis, sed complementum hujus quoque est *Turris Gymnastica* haud parvæ molis
ac altitudinis, cujus *ἀνεγέρσειον* i. fastigium Mercurius *χρυσόοπαρις* (auream gestans virgam, uti vo-
catur Homero Odysl. 2, v. 87.) coronat, è qua turri per æris campani pulsum horis singulis opera
publicæ, aliæq; solennia suo quævis tempore indicantur. Hac itaque ratione exterior Gymnasii fa-
cies quadantenus est adumbrata, cui artificiosa pulcritudine nullatenus cedit interior. Intra siqui-
dem singulæ quoquo totius compagis partes artificiosissimo sunt ædificatæ opere, ita ut *AUDITO-*
RIIS, Ambulacris, Conclavibus & reliquis structuris nihil elegantæ aut decoris deesse videatur.
Imprimis autem hic commemoranda veniunt *TRIA* amplissima atque solis facibus illustra *AU-*
DITORIA, quorum inferius magnitudine & altitudine superat reliqua, & in quo *Sacro-Sancta*
THEOLOGIA, JURISPRUDENTIÆ principia, nec non *MEDICAE ARTIS* fundamenta curatè
docentur. In quo itidem *Disputationes* solennes atque *Actus* panegyrici à Professoribus institu-
untur, quibus in frequentissima Studiosorum concione juxta cum Fautoribus ac Proceribus *Rei Li-*
terariæ & Ipse Serenissimus DUX ALBERTVS, Musarum Isficarum APOLLO *χαρῆσα* non raro
interesse imò præesse solet clementissimè, quæ fini Ipsius Serenitati editior aliqua sedes magnificè est
exstructa, ex qua Ipsa Clementiæ suæ radiis totum serenat auditorium, ipsaq; ab omnibus humillimo
cultu atq; vultu suspicitur. E regione Solii hujus Ducalis in adverso latere affixa est tabula accuratè
Σωφροσύνη operâ *εἰκόνα* beatissimi Principis *CHRISTIANI I.* Lineæ *Altenburgensis* referens cum hac
epigraphæ: *Der Durchlauchtigste/ Hochgebohrne Fürst und Herr/ Herr CHRISTIAN der Erste dieses Namens/
Altenburgischer Fürst/ Herzog zu Sachsen/ Jülich/ Cleve und Berg/ Landgraf in Thüringen/ Markgraf zu Meissen/ Ge-*
fürsteter Graf zu Henneberg/ Graf zu der Mark und Ravensburg/ Herr zu Ravensstein. Ward geboren auf der Fürstl.
Residenz zu Altenburg/ An. 1654. den 27. Febr. An. 1661. den 12. Novembr. nahm dieser löbl. Prinz benebenst seiner Je-
Mutter zu Meinungen wegen seines Hn. Vatern/ Herrn Friedrich Wilhelm des Andern/ die Huldigung an/ that daselbst
die Dancksagung selber gegen alle die Unterthanen und Anwesende/ seines Alters im siedenden Jahr / Auf dessen Zurück-
kunft zu Coburg den 24. Novembr. hat dieser löbl. rare Prinz das Gymnasium besucht / da Er denn in großer Versam-
lung von dem Professore Eloqvientia mit einer lateinischen Oration ist bewillkommet worden / welche Er auch mit einer
gnädigsten Dancksagung und Vermahnung fortzusehenden Fleißes auf lateinisch beantwortet hat / das jedermanniglich
es nicht ohne Wehemuth/ mit Freuden und Bewunderung angehört hat. Starb An. 1663. den 5. Junij auf der Resi-
denz zu Altenburg/ seines Alters neun Jahr. Zum Andencken dieses löbl. Prinzens ist dieses Conterfait von denen Hoch-
Fürstl. Eltern anhero verchret worden. Hanc inter picturam & sedem principalem in medio lateris su-
perior

240-7775
 perioris resplendet EXEDRA NOVA, quatuor majoribus iisque deauratis atque affabre tornatis
 innitens columnis, cujus coronidem hæc ambiunt verba: *NE QVE QVI PLANTAT ALIQUID EST,
 NE QVE QVI RIGAT, SED QVI DAT INCREMENTVM, DEVS.* Inferius autem hæ eidem
 leguntur adscriptæ sententiæ: *NON LABOR IN DOMINO VESTER INANIS ERIT. NON RE-
 QVIRITVR IN DISPENSATORE, NISI VT FIDELIS INVENIATVR. QVI POTEST DOCERE,
 DOCEAT, AC VBI ERVDITIO ET VIRTVS EST, ILLIC APPAREAT.* 1681. Huic Acroaterio
 majori superimpositum est in contignatione superiore alterum non minoris longitudinis ac lati-
 tudinis ac inferius, quo in PHILOSOPHIA Aristotelica cum ARTIVM & LINGVARVM studiis
 indefessa traduntur opera, ubi etiam à Studiosis Gymnasticis Declamationes habentur, quod Audito-
 rium olim salutatum fuit ERNESTIVM, ad differentiam inferioris ac Majoris, quod καὶ ἐξοχήν
 CASIMIRIANVM audiebat, quia Serenissimi Ducis JOHANNIS CASIMIRI Frater germanus,
 Dux itidem Serenissimus JOHANNES ERNESTUS merito suo in hujus Gloriæ societatem venie-
 bat. Atq; hæc duo Gymnasii Auditoria cœtui Studiosorum, quos vocant, *PUBLICORVM* sunt con-
 secrata. Tertium verò Auditorium superiori è regione situm ac per atrium spatiosissimum ab eo-
 dem distinctum cœtui Alumnorum *PAEDAGOGICORVM* patet, cujus nova quoque Cathedra
 insignibus Saxonis conspicua hæc adscripta habet verba: *OMNE QVODCVNQVE FACITIS IN
 VERBO AVT IN OPERE, OMNIA IN NOMINE DOMINI JESV CHRISTI.* Reliqua Ædis hujus
 splendidissimæ conclavia & Directori & Convictorii Alumnis ad inhabitandum sunt concessa, veluti
 & cellæ diversæ ac capacissimæ sub hac mole & Directoris & Inspectoris & Oeconomi inserviunt
 usibus. Artificiosissimæ autem huic structuræ ex rudibus formæ politissimæ lapidibus conditæ me-
 diante gemina area, quarum anteriorem in hæ Musarum Theocrene crater fontis salientis egregiè
 exornat, adjunctum est aliud trium contignationum ædificium in quo est 1. *Conclave amplissimum*, ubi
 Magnificus DOMINORUM SCHOLARCHARUM Senatus singulis mensibus, & quoties præte-
 rea factò opus est, convenire ac de rebus salutem Gymnasii concernentibus consulere solet, atq; hoc
 in conclavi simul aservatur sacra ad publicos usus *BIBLIOTHECA*. 2. *Domicilium Inspectoris Con-
 victorii*. 3. *Cænaculum sive Convictorium*, in quo ex principali liberalitate, nec non ex legato aliquo
 Caupertino indies XXIV. Alumni Gymnastici gratis aluntur. 4. *Habitatio Oeconomi* gerendæ Oeco-
 nomix satis ampla atq; commoda. 5. *Carcer*, quo contra leges delinquentes coercere solemus. Tan-
 to se effert ornatu, eoq; συγκατασκευαστικῶς, ac vertice propè sidera tangit suo Schola hæc illustris, quam ab
 Atheniensibus mutuata voce GYMNASIVM, hodieq; & à Fundatore & Nutritore suo Magnificen-
 tissimo CASIMIRO-ALBERTINUM nuncupamus, cujus splendor non aliter ac Jaspis anulum au-
 reum circulum universæ decorat Urbis, quæ situs opportunitate, salubritate aëris, amœnitate telluris
 mediocri rerum necessariatū copia facile aliis pluribus palmam facit dubiam. At longè major & me-
 lior est ornatu διοικητικῶς, quem, præfiscini dixerò, Lycéo huic, aliisq; Scholis benè constitutis conciliat.

ET DOCENTIUM ΠΟΛΥΜΑΘΕΙΑ ET DISCENTIUM ΦΙΛΟΜΑΘΕΙΑ,

quo de gemino Scholarum Illustrium ornamento plura hic disserere pagellarum angustiis prohibe-
 or, disserendi autem de hisce dabitur occasio, ubi Supremi Naminis auspiciis, Autoritate item Serenis-
 simi Principis ac Domini, **DOMINI ALBERTI**, Ducis Saxonie, Julie, Clivia, Montium,
 Angrie & Westphalie, Comitum Provincialis Thuringie, Comitum Limitanei Misnie, Comitum Principis Henneber-
 gie, Comitum Marca & Ravensburgi, Ravensteinii Dynastæ &c. Sacra Cesarea Majestatis Supremi Campi Mare-
 schalli Legati, ac Ducis Legionis Pedestris, Domini ac Nutriti nostri Clementissimi, iustiq; Magnifici Gravis-
 simorum Dominorum SCHOLARCHARUM SEPTEMVIRATUS, in VIRI Nobilissimi, Amplis-
 simi atq; Excellentissimi DN. JOH. FRANCISCI BUDDEI, Anclamo-Pomerani, Philos. Mag. non ita
 pridem Lingvæ Græcæ ac Latine in Illustri hoc Gymnasio Professoris Publ. Ord. optimè meriti, hodie verò in
 nova à Serenissimo ac Potentissimo ELECTORE BRANDENBURGICO, FRIDERICO III. Halis
 Magdeburgicis regni sumtibus condita Academia Philosophiæ Moralium Professoris Publ. celeberrimi locum,
 VIRUM Præclarissimum atq; Excellenter doctum DN. M. CHRISTIANVM FVCHSIUM, Schne-
 berga-Misnicum, Amplissimæ Facultat. Philos. in alma ad Albim tenuis hæc Adjunctum dignissimum, olim
 Gymnasii hujus Auditorem Φιλομαθία, jam verò in eodem Logices ac Metaphysices Professore Publicum
 Ordinarium πολυμαθία, die crastino, σ. 7. 9. introduxero eundem Juventuti Gymnasticæ Lectissimæ
 publicitatis commendaturus. Ipsa autem hæc solennior erit solennitas, si IPSE PRINCEPS SERE-
 NISSIMVS gloriosissimo Serenitatis suæ Splendore clementissimè eandem circumfunder: Si itidem
 MAECENATES ac FAVTORES Reipubl. hujus literariæ debita quique *Stemmatum, Munerum ac
 Virtutum ἐπισημασία* compellandi optatissimum præsentix suæ decus eidem indulgere haud graven-
 tur, id quod omne *subjectissimè, observantissimè, officiosissimè ac amantissimè* oro, rogo; Studiosam
 verò Juventutem cui potissimum hæc Famae ac Æternitatis arx exstructa est, in qua per Φιλομαθίας
 suam ad arduam πολυμαθίας arcem commendat, frequenti adesse concione valdè jubeo.

P. P. Coburgi, XI. Calend. Decembr. A. O. R. cld̄ 1681 XCIV.

AER. GYMNAS. XC.

(X 202 M 26)

Yc
2275

ILLUSTRISSIMI ATHENAEI
CASIMIRO ALBERTINI

M. JOHANNES BREY,

LINGVAE S. P. P. ORD.

NOVI LOGICAE METAPHYSICAE

INTRODUCTIO

STRATHEMATICAE

ARTIS



14.